

boso, foliis elongato-oblongis in lacinias triangulares irregulares acutas duplicato-dentatas pinnatifidis inferioribus in petiolum longum planum attenuatis intermediis basi sessili angustatâ semiamplexicaulibus, superioribus parvis a basi rotundatâ auriculatâ cordato-oblongis, capitulis majusculis ovato-oblongis, involucri phyllis ab externis longiusculis acutis ad interna sensim auctis, flosculis flavis, acheniis (junioribus) compressis ellipticis acutis rostro concolore eis brevioribus superatis, pappo albo basi extus setulis flavidis brevissimis obsito (2).

Hab. in fissuris rupium Turkestanicæ ad Tiumen-bai-tau et ad Bakali (Lehm!).

Caulis sesquipedalis; species pappi characterè affinis *L. Persicæ* sed ut videtur sat distincta glaucescens, foliis angustioribus, caule usque ad inflorescentiam folioso, rostro achenii abbreviato.

5. **L. picridiformis**, glabra glauca, caule crasso striato inferne crebre foliato a medio ramosissimo nudo ramis strictis valde elongatis corymbum laxum formantibus, foliis omnibus caulinis oblongo-lanceolatis acutis in petiolum latum abeuntibus in lacinias breves irregulares triangulares denticulatas runcinato-pinnatifidis, superioribus basi sessili minute et acute auriculatis, capitulis terminalibus longiuscule pedunculatis parvis ovatis, involucri livescentis phyllis laxis subpatulis imbricatis acutis infimis breviter triangularibus intimis lanceolatis, flosculis roseis, acheniis (junioribus) apice attenuatis (2).

Hab. prope Siriab Belutschicæ (Stocks 1075!).

Caulis bipedalis, rami inferiores 8-10-pollicares, folia 3-5-pollicaria superne 6-8 lineas lata; achenia matura non vidi sed characteres omnes *Lactucæ*; forsitan collocanda prope *L. Persicam* phyllis patulis quoque donatam sed quæ capitulis triplo majoribus aliisque multis differt notis, tamen fructu ignoto locus dubius.

## § 2. Scariosæ.

6. **L. sagittata** (W.K. Pl. rar. Hung. I, tab. 1) glabra, radice napiformi, caule elato simplici folioso densiuscule paniculato-corymboso, foliis primordialis anni prioris petiolatis runcinato-lyratis segmentis ovatis obtusis terminali majore, caulinis strictis a basi acute sagittatâ oblongis acute denticulatis, supremis anguste lanceolatis integris, capitulis anguste cylindricis paucifloris, involucri glabri phyllis obtusis imbricatis ab externis ovatis ad interna linearia sensim auctis, flosculis luteis, acheniis nigris compressis utrinque quinquestriatis basi angustioribus apice in rostrum concolor eis dimidio brevius attenuatis (2). *L. altissima* M.B. Taur. Cauc. II, p. 242! — *L. Chaixi* Vill. Dauph. III, p. 154. — *L. quercina* var. *integrifolia* Bisch. Cich. p. 206. — Rehb. Ic. tab. 69.

Hab. in nemorosis humidis regionis montanæ et alpinæ, Pontus Lazicus ad Djimil (Bal!), Caucasus ad Narzana et in monte Beshtau (M.B., C.A. Mey!).